



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

IX. Et si in co[n]fesso est, neq[ue] negari potest, Diuinitatem vnà cum sua  
Maiestate diuina nequaquam carnis circumscriptione tanquam vase aliquo  
contineri, quem admodum Athanasius, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**



purissimum & splendoris vniuersæ lucis capacem esse, vtpote à Spiritu sancto formatum. & à peccato ex parte segregatum.

Origenes de principijs lib. 2. cap. 6. Anima Christi tota, totum λόγος recipit, atq; in eius lucem splendoremq; cedit.

Et lib. 4. Anima Christi cum Verbo DEI coniuncta, filij DEI plenè capax fuit.

Augustinus Epist. 57. DEVS licet omnibus creaturis totus sit præsens, ac præcipuè in credentibus habitat, non tamen ex toto illum capiunt. Sed pro suæ capacitatis diuersitate alij ampliùs, alij minùs ipsum habent, & capiunt. De capite verò nostro Christo, Apostolus ait: In ipso inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.

## IX.

*Et si in cōfesso est, neq; negari potest, Diuinitatem vnà cum sua Maiestate diuina nequaquam carnis circumscriptione tanquam vase aliquo contineri, quemadmodum Athanasius, Origenes, Nyssenus & alij rectè scripserunt, & in libro Concordiæ tanquam erroneum reijcitur dogma, de humanitate Christi in omnibus locis expansa siue de humana natura in Christo per vnionem personalem infinitam essentiam conuersa: Quia tamen diuina & humana natura personaliter & indissolubiler in Christo vnitæ sunt: idcò cum sacra scriptura, tum sancti patres testantur, vbicunq; Christus est, ibi non dimidiatum, aut dimidiam illius personam, aut*

partem



partem tantum personæ illius, ut diuinitatem solam,  
seorsim & nudè, circa & extra assumtam & perso-  
naliter sibi vnitam humanitatem, vel ab ea separa-  
tam & extra personalem cum humanitate vnio-  
nem, sed totam illius personam, nempe ut Deum &  
hominem pro modo personalis cum humanitate vnio-  
nis, quæ imperscrutabile mysterium est, vbiq;  
presentem, ea ratione & modo, qui  
soli Deo notus est.

Ephes. 4. Ascendit super omnes cœlos, vt  
impleret omnia. Quod Oecumenius ita in-  
terpretatur: *κὶ γὰρ κὶ ἑνὴν τῆ θεότητι πάλαι τὰ  
πάντα ἐπλήσεν. κὶ σαρκώδεις, ἵνα τὰ πάντα μετὰ σαρ-  
κὸς πληρώσῃ, κατέβη κὶ ἀνέβη.* Etenim nuda quo-  
que diuinitate olim omnia implebat. Et in-  
carnatus, vt omnia cum carne impleret, descendit  
& ascendit.

Et Theophylactus ibidem: Vt omnia im-  
pleat dominatione operationeq; , idq; in  
carne, quandoquidem diuinitate iam antea  
cuncta completeret. Hæc autem aduersus Pau-  
lum Samosatenum & Nestorium sunt.

Leo Epistola 10. Catholica Ecclesia hac fi-  
de vinit ac proficit, vt in Christo Iesu, nec si-  
ne vera diuinitate humanitas, nec sine vera  
credatur humanitate diuinitas.

Idem sermone 3. de passione: Hoc Catho-  
lica fides tradit, hoc exigit, vt in Redemptore  
nostro duas nouerimus conuenisse naturas,  
& manentibus proprietatibus suis, tantã fa-  
ctam



Etiam unitatem vtriusque substantiæ, ut ab illo tempore, quo in beatæ virginis utero, Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc, quod est homo, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod est **DEVS**.

Ibidem: Exprimit quidem sub distinctis operationibus veritatem suam utraq; natura, sed neutra se ab alterius connexionem disiungit, nihil ibi ab *inuicem vacat*, sed suscepit totum hominem DEVS, & ita se illi atque illum sibi conseruit, ut utraque alteri nature inesset, & neutra in alteram à sua proprietate transfiret.

## X.

*Cum autem huius articuli doctrina eò, ut, vbi tota persona Mediatoris & deus ipse queri debeat & apprehendi possit, sciatur, præcipue directa sit, ideo liber Concordiæ, perinde atq; omnes alij S. Patres, nos non ad ligna aut lapides aut aliud quid, sed eò, quò nos Christus in & cum Verbo suo, remittit & deducit.*

Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 32. In quatuor partes vestimèta Christi diuisa sunt, & tunica sola indiuisa mansit, quod mysticæ cuiusdam rei signum esse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ, indumentum Verbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulis enim

par